



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. VI. De absolutione excommunicationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

nitionem, aut præceptum, etiam unum peccet, aut peccare præsumat pertinaciter in eo persistendo, quia alias contumax dici non posset: cum enim excommunicatio non sit pura poena, sive vindicta, sed simul medicina, non fertur pro peccato præterito, quod potest esse emendatum; sed ad emendandum, & avertendum hominem à peccato in futurum, ut colligitur ex *d. c. 1. de sent. excomm. in 6.*

63 Tertiò notandum, quod ad incurrendam excommunicationem, vel aliam censuram, non sufficit quivis actus externus, sed requiritur actus consummatus sive peccatum in suo genere completum ita ut effectus lege, & præcepto prohibitus re ipsa sequatur, v. g. si excommunicetur homicida, non incurrit censuram, qui solum percussit, vel vulneravit: si vulnerans, non incurrit, qui percussit sine vulnere: si percutiens Clericum, non incurrit, qui conatus fuit percutere, sed erravit, vel impeditus fuit: Undè excommunicationem latam propter factum aliquod, non incurrit regulariter consentientes, vel mandantes, sicut nec faventes, prius quam crimen re ipsa sit perpetratum; præterquam si in iure, vel ex verbis legis aliud colligatur, Pirhing. *ibid. n. 33.*

64 Quartò notandum, quod nulla excommunicatio ab homine seu Iudice infligi debet, nisi præcesserit admonitio, *cap. reprehensibilis de appellat. c. sacro 48. de sentent. excomm. cap. Roman. tit. eod. in 6.* quæ cum sit introducta in favorem publicum, non potest quis se obligare ut possit excommunicari absque monitione, *Graff. dec. aur. par. 1. lib. 4. cap. 2. num. 38.* Ratio est, quia excommunicatio, vel alia censura, non fertur nisi in contumaces contra Ecclesiam, tales autem non sunt, nisi qui præmissa admonitione excommunicationi censuræ recusant obedire. Hæc autem canonica admonitio debet fieri personaliter ipsi reo, nisi is malitiosè latitet, aut impediat se citari, vel maneat in loco, ad

65 quem non detur tutus accessus: tunc enim satis erit, si citatio cum comminatione fiat ad ejus domum, vel ad Ecclesiæ valvas, vel ad alium locum publi-

cum; undè facile possit ad illius notitiam devenire. Si autem Iudex præsumeret sententiam excommunicationis in aliquem promulgare absque præcedente monitione, incurreret interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem *d. c. sacro* nisi Iudex sit Episcopus juxta *c. quia periculosum de sent. excomm. in 6.* de qua re dicam infra.

67 Tria igitur requiruntur, ut excommunicatio ab homine justè feratur. Primò, ut præcedat monitio, quæ juxta stylum Tribunalis fieri potest etiam sine scriptura. Secundò, ut feratur ex causa rationabili. Tertiò, ut hæc sit manifesta, prout desumitur ex præmissis. Sunt tamen plures casus, in quibus excommunicari quis potest absque præmissa monitione, quos recenset *Barbos. in d. c. sacro n. 6.* & de aliquibus dicam infra suo loco.

De absolutione excommunicationis. §. VI.

Ab excommunicatione lata a jure nemini reservata, absolvere possunt Episcopi, alique Prælati habentes jurisdictionem Episcopalem: non autem Parochi, vel Sacerdotes habentes facultatem absolvendi à peccatis, ut jam vidimus supra §. 1. *vers. una enim sententia.* Si absolutio excommunicationis, à canone, aliave re sit reservata Papæ, ipse solus vel ille cui commissi potest absolvere, nisi factum, sive actum, cui annexa est excommunicatio, sit occultum tunc enim juxta celebre *cap. 6. sess. 24. Concil. Trident. de reform.* posset Episcopus absolvere, præterquam in casibus, quos Apostolica Sedes post ipsum Concilium sibi reservavit, videlicet, Hæresis, Duelli, Simonia scienter contractæ, confidentiæ Beneficialis, violationis clausuræ monialium ad malum finem, violationis Ecclesiasticæ immunitatis juxta terminos *Constit. Gregor. XVI. Blasphemie hæreticales* cum mala credulitate, prout observat, & tenet *Pac. Jord. elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 4. numer. 92.* Si excommunicatio sit reservata Episcopo, ipse, vel ejus superior, vel Vicarius ejusdem poterit absolvere, vel etiam Capitulum Sede vacante. In articulo mortis

69 tis, quilibet Sacerdos absolvere potest ab omnibus censuris sive à jure, sive ab homine latis, & reservatis, si non detur aditus ad superiorem, & alius, qui de jure absolvere queat, non adfit: injuncto pœnitenti, si convaluerit, pro peccato cui annexa sit excommunicatio reservata, onere se præsentandi Superiori pro suscipiendis ejus mandatis, juxta textum expressum in *c. eos qui de sent. excom. in 6* Et hæc facultas in periculo mortis juxta communiorem sententiam tribuitur etiam Sacerdoti excommunicato vitando, ut videre est apud Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. n. 43. notab. 2.* refert tamen, Sac. Congreg. Concilii tempore Gregorii XIII. declarasse illa verba Concilii -- *omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*, non includere neque intelligi debere de Sacerdote, qui sit excommunicatus vitandus, & ibi rationem talis declarationis affert. Ab excommunicatione ab homine generaliter lata non reservata v. g. *qui tale crimen commiserit, sit excommunicatus*, secundum unam opinionem, quam sequitur Bonacin. *de censur. disp. 1. quæst. 3. pun. 1. numer. 6.* Pirhing. *loco citato numer. 143.* Nicol. *ibid numer. 42.* potest absolvere non solum, qui eam tulit, sed etiam quicumque potestatem habet absolvendi à mortalibus: At ego teneo, quod à sententia excommunicationis ab homine lata, sive generalis, sive specialis sit, non possint absolvere Confessarii, nisi ex delegatione, per eandem rationes, & auctoritates supra in *d. 6. 1. vers. una enim sententia* allegatas: nam excommunicationes generales Prælatorum, ut plurimum sunt Synodales, quæ dicuntur excommunicationes juris, Graff. *consilior. lib. 71. de sent. excommun. conf. 2. numer. 6.* & æquipollent canoni, ut inquit Corrad. *in prax. disp. lib. 8. capit. 3. num. 32.* alias excommunicationes hujusmodi impunè despicerent, & Confessarii, sive Parochi exercerent jurisdictionem fori externi, quam non habent, Graff. *dec. aur. part. 1. lib. 4. capit. 15. numer. 68.* & 71. ubi de sententia excommunicationis hominis, quæ sit generalis, D.

Monacelli Form. Pars III.

Thom. *supplem. part. 3. quæst. 20. art. 2.* Neque in hoc suffragatur responsio, 72 quod absolutio Confessariorum valeat quoad forum conscientie tantum, non verò quoad forum exterius, ut ajunt nonnulli, quos refert Piassec. *in prax. tit. 1. art. 3. de casib. Epis. refer. numer. 8.* tum quia excommunicatus non potest absolvi à peccato, propter quod censura ligatur, nec recipere Sacramentum, nisi prius absolvatur à censura, ut docet D. Thom. *loco mox. cit. ad 2.* tum quia, absolutio ab excommunicatione in foro conscientie, non requirit Sacramentum pœnitentie, Saravia *de adjunct. post Franc. de Eccles. Cathedr. quæst. 15. numer. 8. & 9.* & alii ab eo allegati. Ab excommunicatione autem lata ab homine in specie, & nominatim, v. g. contra Petrum, absolvere tantum potest, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel successor, vel delegatus, & in hoc omnes DD. conveniunt.

Ab excommunicatione autem minore à jure lata absolvere potest proprius Parochus, & non alius Sacerdos juxta literalem sensum *c. nuper 26. de sent. excom. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 4. d. cap. 15. n. 80. & 81.* Pirhing. *loco cit. nu. 144.* licet alii teneant quod quivis Sacerdos potestatem habens absolvendi à peccatis, possit quoque absolvere ab ista excommunicatione, Jo. Herolt. *vulgo Discipulus serm. de temp. 69. lit. H.* Nicol. *in flosc. verb. excommunicatio nu. 9.* Sayr. *de censur. lib. 2. capit. 23. numer. 11.* ubi ait, quod ex vi delegationis qua eis permittitur, ut pœnitentie Sacramentum administrent, eo ipso tacite potestas hæc data intelligatur ex praxi, & consuetudine Ecclesie. Qui verò excommunicatione minori ligatus existit, potest alium excommunicatum etiam majore absolvere; quia per illam non privatur exercitio jurisdictionis *c. fin. de cler. excom. cap. duobus 56. de sent. excom.* Forma autem absolutionis hæc est.

Absolve te à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter (hanc vel illam causam seu crimen) & restituo te Sacramentis Ecclesie, & fidelium communioni in nomine Patris, &c.

B 3 Hæc

Hæc quidem forma servabitur, quando quis propria auctoritate absolvit: si vero absolvat auctoritate delegata, hæc uti poterit.

Auctoritate Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & SS. D.N. Papæ (Illustrissimi Episcopi nostri N.) in hac parte tibi concessa, & mihi commissæ, absolvo te &c. Lazar. quæst. can. sect. 4. quæst. 12. n. 12.

76 Ante absolutionem ab excommunicatione majori duplex cautio exigenda, & præstanda est à reo. Prima præstat per juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolvendis, idest de non committendo in posterum hujusmodi delicta *cap. ex tenore, c. ad hæc de sent. excom. quod tamen non exigitur pro levibus delictis, sed tantum quando absolutio est solemnis pro gravi crimine Lazar. quæst. can. d. sect. 4. quæst. 12. n. 11.* Altera cautio datur de satisfaciendo parti læsæ; nullus enim neque in foro interno, neque externo absolvendus est ab excommunicatione, nisi prius parti læsæ sit realiter satisfactum, vel cum ea transactum. Quod si reus statim facere non possit, tunc cautionem sufficientem præstare debet, & scilicet pignoratitiam, vel fidejussoriam: quod si neque hanc dare possit, sufficit juratoria, quia nemo ad impossibile obligari potest, Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. n. 163.* Si autem ita absolutus postea satisfacere negligat, non incidit in priorem excommunicationem, sed poterit iterum à Judice excommunicari, *c. ad reprimendam de offic. ord.* Absolvens autem ante præstitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ante præstitam satisfactionem parti læsæ, illicitè quidem absolvit, sed validè: quia hæc non pertinent ad substantiam absolutionis *c. venerabilibus 7. §. sane in fin. de sent. excom. in 6. Bellett. disq. cleric. de favor. cler. can. §. 5. n. 47.*

77 Absens sicut potest excommunicari, ita & potest absolvi per Procuratorem, Pac. Jord. *elucubr. lib. 14. tit. 2. num. 180.* Pirhing. *loco cit. numer. 164.* Item mortuus absolvi potest, ab eo scilicet, a quo poterat vivus absolvi, si ante obitum signa pœnitentiæ dedit, non directè; quia

non est amplius homo super terram; sed ad hoc ut sit capax Ecclesiasticæ sepulture, & suffragiorum Ecclesiæ juxta dispositionem *tex. in cap. à nobis il 2. de sent. excom. ubi Fagn. n. 14.* dat formulam facultatis, quæ solet expediri à S. Pœnitentiaria Urbis; quæ est sequens.

Quare si sic vobis visum fuerit, vobisque de prædicti N. viventi pœnitentiæ per evidentia signa constiterit, ut eundem sic defunctum, dummodo illius, hæredes injuriam passis, quibus ille si viveret, occasione præmissorum satisfacere teneretur, prius competenter satisfaciant, vel per eos non stet, quominus arbitrio vestro satisfaciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrit, absolvere in forma Ecclesiæ consueta, & in foro conscientie tantum licite valeatis, ad effectum dum taxat ut pro illius anima publicæ, & private orationes, ac preces fieri, ejusque corpus Ecclesiasticæ tradi sepulture possint, facultatem, & auctoritatem vobis concedimus.

Item datur aliquando, absolutio ad cautelam, vel cum reincidentia primo modo non datur, nisi citata parte, & visis actis, & dubitetur de nullitate excommunicationis ab homine prolatae, vel à jure, & si occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, absolutio datur hac forma.

Dominus noster Jesus Christus dignetur te absolvere, & ego auctoritate ejusdem absolvo te à vinculo excommunicationis si quod incurristi ob tale crimen; ut docet Lazar. quæst. can. sect. 4. quæst. 16. n. 4. & 13.

Quæ quidem absolutio præmitti solet ante absolutionem Sacramentalem, nec non ante aliquem alium actum, cuius valor impediri posset per censuram si adesset, v. g. ante electionem, vel collationem Beneficii Ecclesiastici, vel Ordinis, juxta exemplum propositum in *c. venerabili 52. de sent. excom.* ex quo loco colligitur etiam, quod in absolutione semper sit exigendum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, quando non constat excommunicationem esse injustam, ut advertit ibi *Glos.* licet omisso, actum absolutionis non annullat, ut

ut jam diximus, & docet *Glof. in c. super*
51. verb. cum promissione tit. eod.

83 Secundus; absolutionis modus cum re-
 incidentia solet praticari, quando quis
 propter mortis periculum, vel aliquod
 aliud impedimentum legitimum excom-
 municatus, fuit absolutus ab eo, à quo
 aliàs non potuisset absolvi, eo cum one-
 re, seu conditione, ut cessante impedi-
 mento, vel periculo se præsenteret Supe-
 riori, qui extra eum casum illum poterat
 absolvere, non ut ab eo iterum absolva-
 tur, cum jam plene absolutus sit, sed ut
 satisfactionem imponat, & mandatum
 suscipiat *cap. de cetero, &c. quomvis de*
sent. excomm. is enim si cessante periculo,
vel impedimento, se non præsenteret,
cum commodè potest, reincident in sen-
tentiam excommunicationis ipso jure,
ut disponit text. in c. eos qui 22. de sent. ex-
com. in 6. si autem in dicto mortis periculo
excommunicatus absolutus esset simplici-
ter absque dicto onere, non reincidentet
ipso jure, sed esset necessaria Judicis de-
claratio, Graff. consil. 13. num. 7. de sent.
excom. lib. 5. tom. 1.

84 At si absolutio, cum reincidentia con-
 cedatur, ut sæpe contingit, vigore lite-
 rarum Sac. Congregat. Immunit. tunc
 elapso termino absolutionis, Ordinarius
 debet reaffigere Cedulones contra jam
 cum reincidentia absolutos, ut ead. Congre-
 gat. respondit in Baren. 19. Decembr. 1634.
 & in Alessanen. 17. Januar. ejusdem anni
lib. 2. dec. pag. 181. si verò absolutio conce-
datur ad tempus, tempore elapso, abso-
lutus ipso jure reincident, quia absolutio
ista est potius suspensio excommunicatio-
nis, quæ finito tempore cessa Graff. loco
cit. n. 8. & hoc evenit, quoties Sac. Cong-
reg. Concilii, vel Episcopor. rescribit:
Episcopus informet suspensis censuris ad tres
meses, vel alio simili modo.

85 Hanc autem absolutionem cum rein-
 cidentia, dare non possunt A. C. neque
 Ordinarii locorum, quoties agitur de
 censuris promulgatis ex causa jurisdic-
 tionis immunitatis, vel libertatis Ec-
 clesiasticæ uti reservatis summo Ponti-
 fici, ut sæpe declaravit ead. Sac. Congr.
 & præsertim in una Regni Neapolitani
 27. Maii 1643. lib. 3. Dec. Paul. pag. 176.

numer. 6. & recenter in Melphien. 22.
 Aprilis 1673. lib. 1. Decr. Alt. pag. 792.
 & in Ravellen. 30. Augusti 1698. lib. 2.
 Decr. Vallem. pag. 172. à tergo, in quibus
 dictum fuit, quod quatenus A. C. in præ- 86
 dictis causis, inhibitiones, vel absolutio-
 nes concederet, illis non obstantibus,
 Episcopus contra reos procedere possit.
 Si autem Episcopus vigore facultatis si-
 bi delegatæ in iisdem causis absolvat,
 pro Decreto absolutionis nihil recipere
 debet, salvo tamen quod debetur pro 87
 reintegratione immunitatis læsæ, ac pro
 actis Curia Episcopi, ead. Congr. in
 Majoricen. 14. Aprilis 1674. lib. 1. Decr.
 Alt. pag. 924.

88 Absolutio autem non præsumitur, &
 ideo, qui semel fuit publicè excommu-
 nicatus, præsumitur adhuc censura li-
 gatus, nisi probet se absolutum fuisse
cap. sicut 39. de sent. excomm. neque suffi-
cit hoc probare in foro contentioso per
schedulam Confessarii, ut advertit Pi-
ring. in jus can. lib. 5. tit. 39. numer. 180.
vers. notandum secundo. Et hæc de pri-
ma censura in præludio attingisse suffi-
ciat.

De Suspensione §. VII.

89 Secunda censura est Suspendio, per
 quam persona Ecclesiastica privatur usu
 seu exercitio Ordinis, Officii, aut Bene-
 ficii Ecclesiastici, quod illi competit
 ratione alicujus potestatis Ecclesiasticæ,
 in totum, vel in partem, ad tempus,
 vel in perpetuum ob suam culpam. Hæc
 censura ferri non potest, nisi ab habente
 jurisdictionem Ecclesiasticam exte-
 riorem *cap. dudum il 1. de elect. Dicitur ibi*
-- persona Ecclesiastica, ad differentiam
excommunicationis, & interdicti, quæ
etiam in laicos feruntur. Dicitur ibi
-- ob suam culpam, quia quatenus est
 censura ferri non potest absque propria
 culpa saltem veniali, & ad differentiam
 interdicti, quo ferri potest etiam pro cul-
 pa aliena.

90 Suspendio dividitur in totalem, &
 partialem. Totalis est simul ab Officio,
 & Beneficio, cujus exemplum habetur
 in *cap. tuarum 11. de privileg. & in clem. 1.*